



**Venerabilis Bedæ Presbyteri Anglo-Saxonis, Doctoris
Ecclesiæ Vere Illuminati Opera Theologica, Moralia,
Historica, Philosophica, Mathematica & Rhetorica,
quotquot hucusque haberi potuerunt omnia**

In Vetus Et Novum Testamentum, Salvberrimis In Moysis Pentatevchvm,
Tobiam & Iobum, Libros Regum, Davidis Pasalmos, Parabolas Salomonis &
Cantica, Prophetas &c. explanationibus & Quæstionibus enodata:
Moralibus doctrinis & expositionibus in quatuor Evangelistarum Evangelia
illustrata: facundissimis ...

Sive Eivsdem Historia Ecclesiastica Anglorum, Vitæ Aliquot Sanctorvm, Et
Martyrologium

Beda <Heiliger>

Coloniæ Agrippinæ, 1688

Vita Divi Arnolfi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71990](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71990)

S. ARNOLFI EPISCOPI VITA.

BEATUS Arnolfus Episcopus, prosapia gentis Francorum, altus satis & nobilis parentibus, atque opulentissimus in rebus seculi fuit: sed nobilior deinceps & sublimior fide fuit. Hujus itaque laudabilia facta, quae gestit, nonnulla ego familiaribus illius narrantibus, pleraque per memetipsum cognoscens, operae pretium reor, ut jam ab ortu natiuitatis ejus locutionis meae sumam exordium. Erat igitur quidam peregrinus servus Dei, nomine Stephanus, qui à partibus Italiae veniens habitavit in loco contiguo parentibus hujus beati viri. Cumque revelata fuisset per spiritum eidem peregrino natiuitas pueri, silentio paulisper interposito, praesaga tandem voce sic exortus est: Seicote omnes, quomodo puer iste, qui natus est summis honoribus exaltandus, magnus erit apud Dominum & homines: quod ita rei probavit eventus. Laudabilis enim indolis puer, gratia Dei praeventus, cum n literarum studiis imbuendus traditus fuisset, ceteris contubernaliibus suis sagaci ingenio & capaci memoria praecebat, ac de die in diem per gradus virtutum ascendendo proficiebat. Cum autem jam bene edoctus ad perfectam venisset aetatem, Gundolfo subregulo consiliario videlicet regis exercitandus in virtuosis actibus commendatur: quem ille per multa experimenta probatum Theodeberti regis ministerio dignum adaptavit: in cujus servicio commorans quanta potentia belligerando praecellerit omnes, quis enarrare sufficiat, praesertim cum saepe phalanges adversariorum suo viriliter abegisset mucrone? Quapropter effectus est in brevi omnium primus, ita ut sex provinciae, quas extunc & nunc totidem agunt officiales, sub solius ejus arbitrio regerentur. Interea cum strenuus miles iste, quae Dei sunt, redderet Deo sedulo: scilicet in oratione, in jejuniis, in elemosynis, & quae Caesaris sunt Caesaris, fortis scilicet in bello, providus in consilio, cogenitibus amicis atque parentibus, à nobilissima gente puellam quandam praeclaris moribus ornatam duxit uxorem. Quo in facto speciale quoddam munus gratiae suae eidem viro Dominus indulgit, ut ex eadem videlicet egregia foemina duorum filiorum gaudia suscipere mereretur: qui, quasi duarum gemmarum splendidum decus, in mundo postmodum clarescere coeperunt. Temporibus illis erat in ministerio regis vir egregius, nomine Romaricus, familiaris affectu beato Arnolfo copulatus. Hic cum ex assiduitate secum commanendi desiderium beati viri, quo circa monasteria vel loca sancta jugis illi meditatio fuit, agnovisset, habito inter se consilio, disponunt, secundum Evangelii praeceptum, relinquere omnia sua, & peregrinari pro Christi amore: sed voluntas Domini obstitit in hac causa proposito utriusque. Nec enim his censuris fore providentia Christi, ut hi duo viri, qui quandoque veluti duae lampades fulgerent in seculo, sub unius modii occultarentur articulo: sed potius super candelabrum positi lucerent omnibus operatione sua fidei. In illis siquidem diebus accidit, ut civitas Metensis viduata suo pastore una voce parique consensu Arnolfum domesticum atque consiliarium regis peterent sibi ordinari Episcopum. Qui licet lachrymans ac multum renitens, compulsus tandem, quia sic placitum fuit Deo, praefatam urbem gubernandam suscepit. Nec tamen primatum, quem in palatio ganebat, deserere permittitur. Sublimatus igitur episcopali dignitate, tanta tamque perfecta munificentia indigentiam pauperum relevabat, ut etiam de longinquis regionibus, famam beati viri audita, innumerabilis viro-rum ac mulierum caterva ad eum refocillanda festinaret. Porro normam abstinentiae ejus quis enarrare valeat, cum interdum post triduanam, vel etiam amplius protracta jejunia pane hordeaceo seu lympha poculo victitaret? Indutus quoque jugiter infra tunicam suam occulto cilicio, geminum ingerebat cruciatum membris

vigiliis atque jejniis vehementer exaltis. Inter has affluas corporis afflictiones, quibus ob amorem caelestis patriae beatus Arnolfus semet spontanea voluntate castigabat, multas per eum Dominus dignatus est virtutum operationes demonstrare, de quibus hic aliquas aggrediar enarrare. Cum in contiguis partibus Vosagi, in praediis scilicet S. Stephani patroni Metensis loci viri Domini moraretur, & mulier quaedam, nomine Becila, à demonio correpta, graviter ante conspectum ejus vexaretur, ut erat omni pietate suffulcus, cum altis suspiriis dixit: Heu miserum humanum genus! in quo tantum praevaluit inimicus, ut domicilium ipsius existeret, quod potius Christus inhabitare deberat. Et haec dicens, dedit se cum lachrymis in orationem, quae finita, fugato demonio, sanam iterò reddidit mulierem. Eo tempore, quo triduanum jejunium universalis celebrare consuevit Ecclesia, vir sanctus extra civitatem cum crucibus atque promiscua populi multitudine orandi gratia secundum morem urbis processit: & ecce mulier ex mediis catervis voces emisit in caelum. Quod audiens vir Domini, cum cognovisset eam arreptam à demonio, opposito crucis vexillo, liberavit eam ab hoste maligno. Alio quoque tempore, cum infra urbem orationis causa ad basilicam sanctae Crucis accessisset, ibique puellam nequiter debacchantem reperisset, misericordiam motus archidiacono suo ait, Hac nocte, frater, pro ista paupercola vigilias agamus, ut, si per gratiam Dei sanata fuerit, crastina die laeti domum redeamus, & ita factum est. Temporibus Dagoberti regis, cum in palatio ejus maneret beatus Arnolfus, leprosus quidam clamavit ad eum, deprecans victum sive vestitum: at ille statim iussit eum ad hospitium suum duci. Ubi, cum erga languidum secundum morem suum paternam exhiberet pietatem, sciscitatus est ab eo, si sacra unda baptismatis ablutus esset. Nequaquam ait, domine mihi: nam infelici mihi abjecto à populo quis hanc gratiam tribueret? Sanctus Episcopus dixit, modo, dilecte frater, crede in Dominum Jesum Christum, & continuo recipies corporis animaque medelam. Accepto igitur leprosus à beato viro baptismi sacramento, liberatus est ab omni corporis incommodo: atque de reliquo factus est in utraque substantia sanus, qui prius fuerat peccator & maculosus. Post haec, cum ad partes Thuringorum in comitatu praefati regis sanctus Episcopus venisset, accidit, ut quidam procerum, nomine Nutilo, puerum suum, quem satis diligebat, jam extremum spiritum trahentem, magno ejulatu desleret. Cujus doloribus compatiens beatus Arnolfus, cum ille desperatus de salute dilecti pueri, nihil aliud intenderet, nisi ut, amputato capite ejus, more gentilium cadaver ignibus comburendum traderetur: accessit ad lectulum languentis, & facta oratione, his eum alloquitur verbis, Penitere, fili, si quid male gessisti, & restitueris ilico pristinae sanitati. Quid plura? Promens ille potius singultibus, quam verbis confessionem cujuslibet suae transgressionis, perunctus est oleo benedicto per manus sacerdotis Christi, atque eadem hora ita convalescit, ac si nullam prorsus infirmitatem jam pridem passus fuisset. Quidam homo scelestus, nomine Notto, ausus est irrogare cum complicitibus suis Episcopo sancto injuriam, allereus scilicet eum non esse cultorem Dei, sed potius hominum deditum voluptati: ad cujus lectum nocturnis horis non solum rex, verum etiam regina tanquam consilium flagitantes interdum properarent. Cum ergo vir ille die quadam, alvo referto vino, una cum detrahente socio suo strata petisset, jubente Domino, omnia vestimenta illorum vallantur undique flammam. Quibus ilico cum ingenti clamore prosilientibus, & aquam circa nates ac genitalia loca, ubi camisia illorum acerrime cremabantur, injicientibus, nec omnino flammam divinitus missam extinguere valentibus, tandem ad instar porcorum luto volutabri sese pariter involvunt: & ibi diu vociferantes, vix ad ultimum poenam, quam merito patiebantur, evaserunt. In quibus profecto impletum est hoc, quod scriptum est in Psalmo: Detrahentem sacerdoti proximo suo hunc persequar; in tantum ut & illud divina censura factum esse non ambigamus, quod

detractores isti vehementissime cremabantur in partibus illis, ubi libido de qua calumniabantur vitium iustum, regnare non dubitatur. Nec multo post auctor hujus detractionis, praefatus videlicet Notto, in hujusmodi criminibus diffamatus apud regem, ut scelera ejus una cum vita regalis gladius amputaret; necnon & filius ejus eadem sententiae subjaceret. Per idem tempus cum beatus Arnolfus jam penè omnes thesauros Ecclesiae in usus pauperum erogasset, supererat adhuc discus argenteus, habens libras lxxij. Hunc quidam Hugo primas procerum dato precio comparavit, sed omnipotens Deus non passus est, ut laicus illo fruere, qui in honore beati Stephani protomartyris jam olim consecratus habebatur. Praedicto siquidem Hugone praepeti morte prostrato, discus ille Lothario regi allatus est: qui cum referentibus quibusdam comperisset, hunc à beato Arnolfo ob alimoniam pauperum venundatum fuisse, mox tanquam caelitus inspiratus, jubet eum velociter superpositis centum aureis, ad Metensem civitatem sancto Pontifici deferri. Cum igitur quamplures virtutes per beatum virum crebrescere cepissent, soli Deo vacare volens, remotiora quadam loca juxta Vosagium expevit: & ibi retrusus in cellula quadam, diebus ac noctibus caelum sanctissimis precibus pulsavit. Sollicitari verò cepit interea, ne plebs sibi à Domino credita, eo remoto de aeterna vitae pabulo aliquid jam minus acciperent: mittensq; per internuncios epistolas ad regem, rogabat intensissime, ut alium loco suo rogare vellet Pontificem, qui praedicationis verbo dignus se erudiret Christi plebem. Qua legatione accepta, Lotharius non modicis repletur angoribus: & quaritans se ab omni consilio destitutum, si beatus Arnolfus à frequentia palatii remotus fuisset, rescribit ei sic inter cetera: Hoc quod per epistolam vestram domine pater rogare voluistis, ut in loco vestro alter substitueretur Episcopus, nullatenus nostra praesumptio facere praesumit: sed potius omni devotione rogamus, ut si in bonorum operum exercitio vitam alicubi ducere delibetatis, apud populum vobis commissum, sicut cepistis conversando, exemplum ei sitis promerenda salutis. Nec mirum, quòd tanta dilectione Lotharius Rex beatum virum amplexatum sit, cui & filium suum Dagobertum in principatu sublimatum, quasi propriam sobolem erudiendum commisit: & ipse quamdiu vixit, per ejus consilium & providentiam quoque regni negotia disponere satis utile duxit. Defuncto itaque Lothario rege, cum adhuc beatus Arnolfus Episcopus eodem desiderio quo prius, conversandi videlicet in eremo flagraret, iterum atque iterum à Dagoberto principe, quem ipse diligentissime nutrietat, licentiam hujus rei postulare, instinctu diaboli commotus adversus eum Rex, cum ei die quadam nimis importunus in petendo fuisset, arrepto mucrone voluit eum sauciatum à se removere. Tunc ille parvipendens iram morituri regis, constanter dixit, Quid agis miser? Mala pro bonis mihi rependere vis? Nunc autem, quandoquidem ita placet, savior in me quantum velis: ego pro illius amore mori non dubito, qui mihi vitam dedit, & pro me mortuus est. Hac eo dicente, cum unus astantium procerum blandis verbis redargueret temeritatem regis, sedatus est furor ipsius, & mediante gratia Dei, caruit effectus sceleratus affectus. Interea superveniente regina, ut audivit commotionem, quae contra virum Dei sine causa incanduerat, prostravit se una cum rege pedibus ejus: & ut sui miseretur remittendo illatam injuriam, cum lachrymis postulare dicentes, Perge domine ad eremum, sicut desideras: tantum te placatum habeamus, quem injustè offendimus. Data igitur illis venia, cum egredieretur à palatio beatus Arnolfus Episcopus, ecce pro foribus claudorum, caecorum & universorum pauperum astantium multitudo elevatis vocibus clamabant ad eum dicentes, O sancte pastor, cur nos miseros derelinquis? Quis miserabitur nostri, vel quis tribuet nobis victum aut vestitum? His & hujusmodi lachrymosis vocibus, respondit eis pius pater, & ipse flendo dicens, Nolite contristari filii: dabit enim vobis Deus pastorem, qui vos pascat in miseratione

& misericordia. Estote pacati invicem, benigni, misericordes, ut dum in hac praesenti vita paupertate & miseria angustiemini, in futura vita felices cum Christo regnare mereamini. & his dictis statim ad orationem pergit certamina. Post hac paucò evolutò tempore, sanctus Goericus, cognomento Appo, hujus successor eligitur, vitae sanctitate admirabilis, & omnibus sibi commissis amabilis. Quo audito, vir egregius Romaricus, scilicet beatum Arnolfum solitariam vitam elegisse, à partibus Vosagi egressus, pergit ad eum, atque ex convenientia utriusque infra vastam eremi solitudinem, aptum sibi idem praeparat locum. Sed antequàm urbem exiret, ut ad eremum pergeret, quid miraculi per beatum Arnolfum in eadem urbe sit gestum, flere non debeo. Casu namque contigit, ut in una nocte jam praemptuarium regis ignis vorans vexaret, atque eructans flama domum circumquaque minaciter lamberet. Repentè exurgens omnis civitas, cum sui videret exitium, in ejulationem atque clamorem conversa est. Quo audito, praepeti gressu ad viri Dei domum pervenimus, & cum sicut illi jugiter moris erat, psalmodiae vacantem reperimus. Statim apprehensa manu illius, ait Romaricus, Egredere domine, ecce adsunt pro foribus equi nostri: egredere inquam, ne quod abisti, te in hac urbe ignis iste abstulit. Ad hac ille, Nequaquam inquit dilectissime: sed ducite me illò, & ponite prope ignem, ut videamus hoc impium quod grassatur incendium: & si ita vult Deus, ut ardeam, ecce in manu ejus sum. Nos itaque tenentes manus illius, ad larem ardentem pervenimus: & jubente illo, statim in orationem prostrati, capitulo dicto omnes exurgimus. Tum ille elevans manum, signum crucis contra flammam opposuit, moxque mirum in modum tanquam caelitus percussus, nil alibi nocens, infra parietes totus retrorsus ignis interit. Quod nos videntes gratias Deo egimus, & dictis matutinis ad lectulos nostros remeavimus. Eadem hora uni è fratribus talis apparuit visio: intuens in caelum, vidit tanquam flammam ignis depictum signaculum crucis, & vox facta est de caelo dicens: Cernis hoc signum? Hac Nocte Arnolfus Episcopus per ipsum totam civitatem istam ab incendio liberavit. Mirantibus autem nobis omnibus virtutem, quam vidimus de igne superius ab eo extingui, frater ille hanc visionem narravit, omnesque nos in majorem admirationem adduxit. His ita gestis, beatus Arnolfus relicta cunctis seculi rebus, & facultatibus suis pauperibus erogatis, jam fidus & securus de thesauro in caelo recondito, pauper quidem propter Christum in seculo effectus: sed jam dives de virtute Dei, veluti novus Helias ad eremum properat, & inter beluas & feras quotidiana meditatione laudes Deo personat, ascitis secum aliquantulis monachis, quibus propriis manibus fidelissimam servitutum jugiter impendebat, calceamenta à pedibus detrahens atque detergens, capita & pedes illorum crebrius abluens, nec non & lectos ipsorum singulis diebus studiosissime componens: coquinae etiam servitium non abhorrens, cocus ipse saepe esuriens, suos contubernales pascebat. Sed & lectum statum ipsius, vilem quidem in oculis hominum, sed pulcherrimum in obtutibus angelorum, spretis mollibus & pretiosis vestibus, cilicio exornabat. In his igitur atque ceteris innumerabilibus bonis, dum angelicam duceret vitam, jamque Deus omnipotens athletam suum ad destinatum bravium vellet vocare, astante sibi religioso viro Romarico, familiari suo cum ceteris monachis, & gloriosum ejus transitum de hoc seculo praestolantibus, electus Dei Pontifex his eos alloquitur verbis: Amabiles domini, obsecrate Christum pro me: jam enim adest dies, in quo iudici meo praesentandus apparebo. Quid faciam? Nihil boni gessi in hoc seculo. Omnibus sceleribus & peccatis vallatus coarctor, pro quibus Dominum, ut veniam merear, obsecro postulare. Interea venit hora, ut sancta illa anima manibus angelorum ad Christum gestaretur. Fit illic gaudium magnum supernarum virtutum in caelo, sed ingens luctus pauperum Christi, atque monachorum in seculo. Audiens autem venerabilis Goericus Episcopus transitum beati Pontificis Arnolphi, assumptis secum

duobus alijs Episcopis, & coacervata ingenti caterva clericorum & laicorum pergat ad eremum, & cum magna reverentia tollentes corpus viri Dei regrediuntur ad urbem. Cumque venissent ad quendam fluvium, cuius ripa tenera tellus exesa euntibus lubricum præbebat meatum, posteriores, qui feretrum portabant, lapsi corrunt: sed, ut reor, ibidem statim Angeli adsunt. Nam priores nullo retardati gressu liberè gradiuntur ante se, donec illi, qui lapsi fuerant, evidenter coram omnibus assurgentes, & iterum se feretro subjicientes ministerii sui locum, sicut antea, suppleverunt. Accidit & aliud in eodem itinere miraculum. Quidam liquidum homo in pago Calvomontinse, nomine Centa, incestuosus fuit: quem B. Arnolfus, cum in hac vita positus esset, sæpius ad emendationem perducere volens, nec valens, sine penitentia reliquit. Venientibus igitur illis, qui beati viri funus portabant, ad terminos huius incestuosi hominis, repente membra portantium obriperunt, ita ut ulterius nullo modo procedere possent. Quo viso sacerdotes & universi populi, cum non modicum angustari cepissent, quid facerent, quò diverterent, præsertim cum jam dies declinata esset ad vesperam, Notto dux, qui unus erat de simul gradientibus, ait: Manifestum est, quia sanctus iste terram huius incestuosi hominis ingreditur: & ideo, si ad mansionem meam, quæ aliquantulum hinc remota est, antequam nox initium sumat, venire possemus, de his, quæ mihi de instanti suppetunt, licet diffidam tantam multitudinem me jam posse reficere, ut potè ex improvviso advententem, & me proisus imparatum invenientem, nec essaria ministrarem. His auditis, universus populus arripuit iter versùs oppidum ejusdem vicis: & portitores feretri tanta sunt velocitate donati, ut ad destinatum locum ante terminum diei pervenientes, potius semetipsos portari sentirent, quam ipsi portarent. Tunc Notto ait, Quia parum quid in promptu habemus, S. Arnolfus nocte hac provideat nobis; cuius fidei verba secuta est rerum efficacia. Tanta namque abundantia cibi & potùs exerevit, ut medietas illius, omnibus ad sufficientiam satiatis, adhuc in crastinum superesset: post hæc cum magna prosperitate & lætitia ad urbem pervenit. Hac fama provocati cives cum crucibus & cereis, atque ingenti gaudio & admiratione obviam currunt, pastoremque suum, quem dudum iudicio Dei fugacem amiserant, cælo jam regnantem recipiunt, atque sacrum corpus illius in basilica sanctorum Apostolorum cum magna reverentia recondunt. Quo sepulto, quid apud Christum in eremo mercatus fuerit civibus suis, miraculis demonstravit. Nam mulier quædam, nomine Julia, luminibus olim cæcata, cum ad sepulchrum viri Dei accedens fiducialiter orasset, absque mora lumen longo tempore desideratum recepit: atque per exitum viarum, quos nonnisi aliena manu auxiliante calcare consueverat, propriis cernens luminibus, ad diversorium lata remeabat. Aliud rursum miraculum non sileam, quod nuper narrante viro religioso Arnegaudio abbate cognovi. Cum per idem tempus mulier quædam in suburbano degens, Dominica die operari ausa fuisset, iudicio Dei tacta, utraque manu contracta est: unde illa nimis vallata angoribus ad prædictum abbatem pervenit, misericordiamque ab eo flebiliter postulavit. Qui mox præcepit ei, quatenus ad sepulchrum sancti antilicis cum fide festinaret. Quò cum pervenisset, ostia monasterii clausa invenit, seque cum lachrymis in orationem dedit orans S. Arnolfum, ut se sanaret. Cumque diutius illa Dominum deprecata fuisset, suffragantibus meritis beata Pontificis, contracti digiti resolvuntur, & optata remedia celerimè subsequuntur. Per idem quoque tempus homuncionem quidam, nomine Cero, ita contractos habens pedes, ut ex utroque latere sustentatus baculis miserabilem pederentem regeret gressum, sanatus est ad viri Dei sepulchrum: & revertitur ad domicilium suum solidatis plantis naturalibus, qui illic venerat non innatis sibi pedibus. Hæc pauca de plurimis huius beati Pontificis miraculorum exhibitionibus, scriptis, ut cunctaque potuimus, in diodorus: ceterum si cuncta, quæ egit, stylo prosequente chartis inserere statuissemus, enorme

volumen, & nimis fastidiosum composuissemus. Nunc interim ista sufficiant benevolæ Lectori, qui pro beneficiis circa mulierum salutem per merita sancti præfuls exhibitis benedicat nomen Domini nostri Jesu Christi, cui est potestas & imperium in secula seculorum Amen.

S. ARNOLFI EPISCOPI
vita finis.

S. BURGUNDORÆ
ABBATISSÆ VITA.



BEATA Burgundora monasterium, quod Evoriacas appellatur, cui ipsa venerabiliter præerat, omni intentione ac devotione secundum regulam S. Columbani instituit, & ad exemplum sanctorum præcedentium patrum cum alijs ancillis Dei religiosam vitam inibi duxit; sub cuius magisterii tempore quanta & qualia rerum fator ob ejusdem famulæ suæ merita dignatus sit in monasterio illo demonstrare miracula, non est silentio prætereunetum, inò potius ob rebotandam spem fidelium tenaci memoria commendandum. Cum sub regulari disciplina multarum adunatam secum puellarum regeret Christo duce coheret, tempore quodam una de subiectis, nomine Sifindudis celleraria monasterii, exitum vitæ per revelationem agnovit, atque per interjectum spatium xi dierum mores corrigere, vitam emendare, & se in omnibus preparare monetur & imperatur. Transierant xxxvii. dies cum omni religione & oratione, cum fluentis lachrymarum vigiliarumque labore, & ecce duo juvenes candidis circumamicti stolis venientes ad eam, animam à corpore segregant, quam vacuum ferentes per aërem, & multis discussionibus inquisitionem ad cælos deportant: permixtamque angelicis choris, & cælestium omnium inferam multitudinem, cohortantur capere latos de seculo triumphos: cumque jam ovans uberi exultatione inter æterna gaudia haberetur secuta, & virginum choris inserta, excellenti gloria tripudians gauderet, & ante tribunal clementis iudicis astaret, iuberetur reduci in corpus, & tertia die denuò redire à corpore, quatenus se uberiori preparatam post triduum habeat, ut quadraginta dierum curriculum impleatur. Reversa itaque in corpus venerandam matrem ancillarum Dei Burgundoram, & omnem fororum catervam ad se vocat, & orationibus earum fequentius commendans, tres adhuc dies sibi vitæ concessos esse testatur. Adveniente igitur tertia die, cum & mater & alia simul sorores adessent, conspicit illa duos juvenes superentis visos ad se venire, & si jam abire vellet, sciscitari. At illa, Vadam, inquit, domini mei, hinc vadam, nec amplius in hac ærumnosa vita detinebor, sed ovans fulvæ luci, de qua redii, reddar. Sciscitante ergò matre Burgundora, quibus talia proferret dicta, Non cernis, inquit, stola indutos, & qui me nudistertius ad cælos vexerant, viros, & nunc paratos esse eodem me itinere reducere? Quibus in verbis mirante matre, & omnibus circumstantibus ultimum valescens præsentis vitæ terminum clausit: omnes autem, qui ejus suberi intererant, choros angelicos audierunt plallere, & dulci modulamine animam ejus in cælum deferre, merusque simul & gaudia omnes percipere. Hanc primam exhortationem præfati cœnobij Dominus famulabus suis ideo voluit tam evidenter demonstrare, ut, quotquot superflites essent, omni intentione ad cultum religionis aspicerent. Alia rursus post hæc oritur exhortatio. Quædam etenim virgo, Gibitridis nomine, in genere & religione nobilis, supradictum cœnobium conversa à seculo petiit: quam velut munus gratum ovans monasterii mater Burgundora recepit. Erat enim consanguinitate ei proxima, quæ tanti ardoris igne fervebat, ut in omnibus sancti Spiritus gratiâ videretur flagrare. Nam cum adhuc paterna detineretur domo, &

Spiritu